





de privata ultione injuriarum

21

136.

1714


15

ORDINIS
IVRECONSULTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
DECANVS
IO. BALTHASAR
VVERNHERVS, D.

SAC. REG. MAI. POLONIARVM ET ELECTORI SAXON.
A CONSILII AVLAE ET IVSTITIAE,
CODICIS PROF. PVBL.
CVRIAE PROVINCIALIS, SENATVS ECCLESIASTICI,
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ASSESSOR

LECTORI

S. D.



INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI

INVECOX VI FOR VI





um Nobilissimus CANDIDATUS
noster in Cathedram prodit, at-
que in argumento, quod ad pu-
blicam vindictam spectat, verfa-
tur, in mentem venit recordari
eorum, quæ hodie, in Foro Sa-
xonico, circa privatam ultionem
injuriarum, ultro citroque dispu-
tari solent. Et primo quidem non semel dubitatum
fuisse memini, an post recentius, *de Duellis Edictum*, A.
1712, promulgatum, adhuc *Æstimatorie injuriarum Actio-*
ni locus sit? Qui negant, nituntur verbis §. 22. Als
wollen wir hiedurch allerseits solenne und förmliche / in der
Policey-Ordnung nachgelassene Klagen in Injurien Sachen /
sie seyn ad æstimationem, palinodiam, oder sonsten / wie
sie wollen / x. gänzlich aufgehoben haben. Quibus lucu-
lenter, putant, prohiberi, ne quis deinceps illatam sibi
injuriam certa pecunie summa æstimet, eamque sibi
adjudicari petat, præsertim cum hoc agendi genus
odiosum fere habeatur, nec tam ad reparandum id,
quod, hominum opinione, existimationi detractum vi-
deri poterat, tendat, quam ad lucrum, occasione alieni
delicti

delicti, consequendum. Sed, qui contra pro usu memoratae actionis militant, id urgent, quod Jura correctoria strictissimae interpretationis sint, nec Legislator tam solennem actionis speciem, Jure Communi & Saxonico, nec minus perpetuo utriusque fori usu, comprobata, eliminasse & prorsus rejecisse censeretur, nisi de ejus voluntate liquido constet; atqui ex allegato textu nihil tale exculpi posse; illum enim expresse tantum de solenni & ordinario procedendi modo, quod hic in causis injuriarum sublatus esse debeat, loqui, de ipsis vero actionum speciebus nihil quicquam ibi disponi, neque earum ullam mutari, multoque minus abrogari prorsus & tolli. Quam interpretationem juvat, quod Potentissimus Legislator *c. l. ad Ord. Pol.* disertis verbis provocat, quae ordinariam procedendi rationem, in actione aestimatoria, non tantum admittit, sed & ita confirmat, ut plerique interpretum summario, aut executivo, processui, in illa actione, locum haud esse, eo solo argumento adducti, olim contenderent. Accedit alia ratio, in qua maximum pondus inesse, palam est, quod verba dispositiva, superius relata, utramque actionem, ad palinodiam non minus, quam aestimatoriam, contineant. Quod vero actio recantatoria sublata non sit, fatentur omnes, idemque verba, quae, in *ead.* §, sequuntur, manifeste indicant. Unde consequitur, aestimatoriam actionem eodem jure cum recantatoria censendam, nec nisi processum ordinarium circa utramque abrogatum esse. Quam sententiam Dicasteria Vittembergensia cum Judicio Curiae Provincialis sequi, novissima praedicta testatim reddunt. Sed & illud experiendo animadvertere licet, plerisque per-suasum esse, in causis injuriarum non amplius procurato.

ratorem admitti, sed in persona, ut vulgo loquuntur, comparendum esse. Unde sæpenumero mandatarios repelli, & principales eorum, qui, tempore præstituto, in iudicio non adfuere, pro confessis & convictis haberi, & condemnari, videas. Quæ opinio inde nata esse videtur, quod c. 4. causæ injuriarum, juxta indolem & modum processus, qui, recepta inter Saxones loquendi ratione, Rügen-Proceß audit, tractari jubeantur. Atqui etiam hic, quando civiliter, seu ob interesse privatum, agitur, procuratorem neque lex, neque consuetudo, quæ certa atque indubia sit, excludit. Quocirca putem, distinguendum esse, an is, qui injuriam fecisse arguitur, ita indiciis, ex testium depositione, Documentis, aut aliunde desumptis, oneratus sit, ut, ex officio, Juxta contra ipsum procedere queat, an vero, ut fieri quotidie solet, actio simpliciter, & sine prævia demonstratione atque indiciis, instituta sit. Priori casu dubitandum haud est, teneri reum se in persona, quod agunt, sistere, & mandatarium repelli posse. Sed in altero casu secus esse, res ipsa monet, & summa æquitatis ratio evincit. Nam hujusmodi comparitio & summaria responsio ad inquisitionis præludia pertinet, ejusdemque primus veluti gradus habetur, eoque contra personam, honestioris præsertim conditionis, non aliter, quam si legitimis indiciis urgeatur, decerni potest. Quod ni ita esset, in ejusque hominis nauci & calumniatoris potestate foret, quemlibet virum, quantumvis integritate vitæ, aut muneris dignitate, conspicuum, quandocunque voluerit, eo adigere, ut ipse in iudicio adesse, & summarie ad objecta respondere, hoc est, iudicium, quod ad inquisitionem viam præparat, & graves viros apud vulgus onerare solet, subire cogeretur,

7
si modo injuriam sibi illatam esse, audacter asserat, & falso licet, omnibusque probandi mediis destitutus, Magistratui denunciet. Quocirca factum est, ut, in novissimo Curiae Provincialis Termino, in causa quadam injuriarum, cum litem rea per procuratorem susciperet, & propterea aetrix contumaciam ejus argueret, insuper habita neglectaque hac accusatione, mandatarium admittendum esse, censeremus. Faciamplius, super injuriis jusjurandum ab actore reo deferri, an huic conscientiam probationibus tueri licebit? Dubitatum de hoc fuit superiori anno, cumque in affirmativam sententiam respondissemus, ejusdem rationes reddere iussimus. Nempe summaria procedendi ratio juramenti delationem haud excludit, ubi vero haec locum habet, defensio quoque conscientiae, per probationes, licita haberi debet, quamdiu non apparet, contrarium a Legislatore expresse cautum esse. Probatio autem illa, per quam quis id agit, ut juramenti sibi delati praestationem declinet, non ejusdem semper generis est, sed pro indole & natura causae, in qua versamur, modo ordinaria, modo, ut hodie in omnibus injuriarum causis, summaria, quae alias nomine simplicis demonstrationis venit. De fatalibus etiam, speciatim octidui, in oblatione ad jurandum definiti, quaestio nuper occurrit, an illa in causis injuriarum hodie attendi debeant? Quam in re, similibusque quaestionibus definiendis, tamdiu videtur standum esse principiis communibus processus, quamdiu contraria Legislatoris voluntas non liquido apparet. Possem adjicere plura, quae hoc argumentum illustrant, sed institutum, quod me ad scribendum impulit, in rem praesentem venire, & rationes vitae, quas haecenus Nobilissimus Candidatus noster,

JO.

JO. GEORGIUS CONRADI, tenuit, breviter exponere jubet. Natus est A. 1675. in Castro Misniæ, quod ab *Augusto* nomen habet, Patre MICHAELE CONRADI, qui plusquam viginti annos pro Saxonia arma gessit, atque haud vulgari officio bellico virtute sua admotus, tandem A. 1702. in prælio prope *Rigam* commissio, adversis vulneribus acceptis, egregia morte defunctus est; Vir promptus consilio, & manu strenuus, qui apud omnes magnum sui desiderium reliquit, Matrem nactus est, ANNAM CONCORDIAM, ornatissimam, omniumque virtutum laude conspicuam sceminam. Inter avos suos multos egregii Nominis Viros, sigillatimque Jo. SCHNEIDEVVIVM numerat, qui inter JureConsultos sui temporis magnam famæ celebritatem consecutus est. Variis deinde, cum procederet ætate, Candidatus Noster usus est Præceptoribus, quorum omnium, ac imprimis *Stribelii*, Rectoris Misnenensis, fidem atque dexteritatem maximopere collaudat. A. 1696. Gymnasium *Görlitense* adiit, Celebratissimo Viro, *Samueli Grossero*, in disciplinam traditus; qui, uti in formanda Juventute cum Optimo quovis comparari potest, & jamdiu doctrinæ elegantioris præstantia erudito orbi innotuit, ita Nostrium singulari amore complexus est, eundemque omnibus, quæ ad humanitatem referri solent, literis atque artibus erudit. Tum vero, animo sic præparato & exculto, in Academiam, quæ Lipsiæ floret, se contulit Noster, & JureConsultos, fama meritisque insignes, *Menckenium*, *Mylum*, *Ittigium*, *Philippi*, nec non *Vveidlingium*, sedulo audivit, Eosdemque, publice privatimque docentes, constanter, nec interrupto industriæ ordine, sectatus est. Tandem

dem A. 1701. huc VVittebergam venit, ubi inprimis
HORNIO, Ordinis Juridici Ordinario Magnifico, nec
non SCHROEDTERO, Consiliariis Regiis, adhæsit, at-
que ab Illo solidioris doctrinæ capita, ab Hoc autem
modum causas in foro dextre orandi se didicisse, inge-
nue faterur. Sed & grato animo recolit beneficia, a
Patruo suo, GEORGIO ANDREA CONRADI, Poten-
tissimo Poloniarum Regi a Consiliis, & Præfecto Dres-
densi, accepta; apud quem jam olim adhuc adolescens
vixit, ejusque paternum erga se affectum, & fidem
singularem abunde expertus est. Integritatem suam,
& in gravissimis causis forensibus explicandis dexteri-
tatem ita omnibus approbavit, ut non tantum in Judi-
cio, quod hic loci in rebus Ecclesiasticis jus reddit, sed
& in Curia Provinciali nuper, inter Ordinarios Advoca-
tos locum obtineret. Nomen suum inter Candidatos
Juris professus, & ad consueta Examina admissus, ex-
pectationem, quæ de ipso erat, sustinuit, omniumque
suffragio dignus judicatus est, cui supremi in utroque
Jure honores decernerentur. Quos ut rite consequatur,
proxime sub meo Præsidio *de Jure Repressaliarum*
inter Principes Imperii, publice disputabit. Cui Actui
solenni ut Magnificus Academiae PRO-RECTOR,
Ejusdemque Procures ac Cives interessè ne graventur,
qua par est, observantia, atque humanitate rogo, &
grata quævis officia studiaque mutuo polliceor.
Vitembergæ, A. MDCC XIV.

EX OFFICINA GERDESIANÆ VIDVÆ.

Wittenberg, Diss., 1714

ULB Halle 3
005 302 560



Sb.

WD. 18

in
ae,
n i
vii
n
ul
de
li, F
dase
Con
iaco
ep
M
Tol
a, B
is l
s in
or,
ren
ari
dit
us,
M
ius
ris
L. St
i. de
fup
ni. gg.
ni.



de privata ultione injuriarum 21

136. 1714

15

**ORDINIS
IVRECONSULTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
DECANVS
IO. BALTHASAR
VVERNHERVS, D.**

SAC. REG. MAI. POLONIARVM ET ELECTORI SAXON.
A CONSILIIIS AVLAE ET IVSTITIAE,
CODICIS PROF. PVBL.
CVRIAE PROVINCIALIS, SENATVS ECCLESIASTICI,
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ASSESSOR

LECTORI

S. D.

